

DISSERTATIONIS,  
DE  
BIBLIOTHECARIIS  
ACADEMIÆ ABOËNSIS,

PARTICULA DECIMA SEPTIMA.

QUAM,

ANN. AMPL. PHILOS. ORD. AURAICO,

*publico examini,*

in Auditorio Philos. die xxix Junii a. MDCCCXXVII,  
h. a. m. f.

PRÆSIDE

*Mag. FREDR. WILH. PIPPING,*

*Hift. Litter. Prof. Publ. Ord. & Biblioth. Acad. Praefecto,  
Imp. Ord. de S:to Wladimiro in IV:a Clasfe Equite,*

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS,

*modeste subjicit*

*NICOLAUS FROSTERUS,*

*Ostrobothniensis.*

---

ABOË, typis FRENCKELLIANIS.

## THESES.

### I.

Cum nobis sit perspectum, quam varie non modo rationes factorum, sed res factaque ipsa, quæ nostra ætate acciderunt, deseribi soleant, quanta diligentia in rebus gestis exponendis opus sit quamque grave merito censeatur munus Historici, facile cuique patet.

### II.

Simul liquet, sperari vix posse Historiam, majus intervallum temporis complectentem, quæ ab omnibus immunis fit erroribus.

### III.

Studium Historiæ, quamvis ut hominibus cujuscunque conditionis, ita eruditis quoque omnis generis, maximum afferat emolumendum, in primis ei qui antiquorum scripta enodare velit summae est necessitatis.

### IV.

Magna nominis fama claros legenti scriptores minime fit persuasum, omnia quæ proposuerint, omnibus numeris esse absoluta. Nam & maximi errare posunt, nec semper animum satis intendere valent. Ciceroni itaque dormitare interdum Demosthenes, Horatio etiam Homerus videtur.

### V.

Qui in Historia litteraria plane rufus non sit, facile videt, multa, de quibus recentiori ævo vehementer pugnatum est, Philosophiæ loca, non minoribus apud Græcos olim animorum motibus fuisse agitata, qualia ex. gr. sunt de origine idearum nostrarum, de principio moralitatis, de libertate mentis humanæ, &c.

Aucta autem ita sollicitudine Regis CAROLI XI, verentis ne circa versiones SS. Bibliorum dicta verba dubium animis hominum doctrina haud exercitatorum moverent de ipsis fundamentis vel articulis fidei, quemadmodum neque de Sacramento Baptismi enuntiata cum formulis sanctorum verborum conciliari possent, ab Episcopo GEZELIO aliquam eorundem verborum explicationem Monarcha Augustissimus, litteris die 20 Oct. a. 1684 datis, postulavit, quæ consilii innocentiam aperte prodens malæ interpretationi viam præcilura esset. Explanare propterea conatus est ille, Holmiæ tum præsens; suos sensus libello quodam, qui cum argumentorum tantum ex prioribus Upsaliæ exhibitis scriptis petitorum summam comprehendens Superioribus minus placeret, altera vice monitus ulteriore addidit declarationem, testificaturus, de re ipsa in dubium vocata apprime cum orthodoxis Theologis se contentire, etiamsi forte in festinatione ea, cum serius ex Metropoli Aboam allati Textus Pœnitentialium Dierum præpropere divulgati una cum brevi explicatione fuerint, quo tempestive ad loca quævis Dioceſeos late patentis disfita perferrentur, in forma verborum a communī loquendi modo discrepans quid irrepserit. Qua declaratione cum Theologis Upsaliensibus mox communicata, judicare jusſis an probari posset & illustrandæ quæſtioni ſatisfactum ſic esſet, ſin minus, observanda cætera definire, viſum eſt eis opus expoſitione utriusque GEZELII aliqua pleniore dilucidio reque, maxiſme cum Domini Episcopi unius explicatio illa cardinem rei & præſertim penſitandas verborum vexatorum formulas non tangeret; quod litteris d. 11 Nov. e. a. signatis S. Regiæ Majestati aperuerunt (iiii). Consilio probato placuit Regi jubere, certam Doctoribus GEZELIIS ponerent rationem ita explanandi ſcripta exagitata, ut erroris & offendionis nihil refideret; Archiepiscopus autem OLAUS SVEBILIUS, cum Confistorii Eccle-

---

iiii) Summam harum litterarum yide l. c, pag. 182 ſq.

siastici Upsaliensis membris, PETRO RUDBECKIO, ERICO BENZELIO, SAMUELE SKUNK, PETRO HOLM & HENRICO SCHÜTZ, nihilominus generalia tantum de dicto versionem Bibliorum vernaculorum spectante emendando neque amplius admittendo, ut & de iis quæ circa Baptismum in Homilia illa profita erant, festinationis quidem præcipitis venia excusandis, minime vero mitigatione vel propugnatione quadam tegendis & defendendis, d. 27 Jan. a. 1685 subiectissime rescribentes præstutuerunt. Quamobrem novo mandato Regio d. 8 Maii e. a. iterum imperatum iisdem est ipsa verba concipere, quibus explicaturi esent GEZELII dicta sua clare adeo atque aperte, ut neque obscura vel ambigua interpretatione sphalmata eorum celarentur, neque dubio & suspicioni aliorum in animis locus relinqueretur. Quo facto idonea visa verba (kkkkk) litteris statim mandata sunt & d. 12 ejusdem mensis cum epistola ad Regem misa, qui eadem litteris d. 6 Junii sequentis ad GEZELIUM patrem scriptis allegavit, volens ut appositione nominis tam sui quam filii, Superintendentis, testata confirmarentur.

Quod cum GEZELIORUM præter opinionem accidisset, partium studio invidiæque indulsisse Upsalienes Theologos suspicati, nullum non quæsiverunt exitum, quo e malo imminente se expedire daretur. Hoc consilio scriptum Narvæ d. 26 Aug. a. 1685 ad S. Regiam Majestatem libellum Filii (uuu), unacum uberiore Svecana illustratione verborum Homiliæ de Baptismi efficacia, nec non recensione consonantium judiciorum tam de loco eodem, quam de versione SS. Bibliorum Svetica, immo ipsa beati Lutheri interpretatione, plurimis quamvis nominibus vernacularas antecellente, juxta textum originalem emendanda, in publicis aliquot domesticorum etiam The-

kkkkk) Vid. e. l. pag. 335 sqq.

uuu) Vid. e. l. pag. 323 sqq.

Theologorum scriptis occurrentium, Holmiam eodem autumno repetens, ut conventui intereset virorum, novæ Ordinantiæ Ecclesiasticæ preferendæ causa ibidem congregatorum, Pater exhibuit. Urgeri videmus his scriptis, Svecano sermone transmutata ab Upsaliensibus loca vexata, a Latinis Dispositionum Homileticarum & verbo & maxime sensu discrepare, nec necesse non esse ut antequam fidem dent auctores harum de patrocinio earundem, nec interpretatione nec defensione qualicunque unquam fuscipiendo, versionis locorum Scripturæ S. ipsorum, a textu originali discedere visorum, cum mente Spiritus Sancti consensus probetur, propositumque propterea jam fuisse patet, causam integrum aliorum adhuc Theologorum judicio submittere. Cui exceptioni cum haud omnino quidem renutum fuerit, quemadmodum ex clausula, conceptis illis Upsaliensium verbis GEZELIO *Seniore* auctore apposita (mmmmmm), elucet, iisdem hunc nihilominus nomen subscriptisse d. 26 Febr. anni proxime sequentis eo magis miramur, quo certius constat, autumno ejusdem anni ab Augustissimo Rege denuo petiisse non minus Patrem quam Filium, ut ex primoribus Cleri Comitialis tunc convocati quidam docti piique designarentur viri, coram quibus dilucide demonstrare sententiam, a Latinis verbis aliena interpretatione Svecana falso sibi imputatam, nec non ulteriorem ex Scriptura Sacra, Libris Symbolicis Orthodoxorumque Theologorum scriptis expromendam Latinorum dictorum explicationem proferre liceret, quo sic etiam iniquitas accusationis eo magis diluceret. Profesorem SVENONIUM, qui Disputationibus Academicis, in primis partibus *Lytrodoxiæ Jesu* nonnullis aa. 1684 & 1685 editis, quæstiones easdem circa Sacramentum Baptismi ac Regenerationem, & an Biblia Svecica alicubi discedant a mente Spiritus Sancti, intempestive tractans, in PETRÆI jam descenderat causam, reum simul fecerunt injuriæ publice sibi illatæ

V 2

nec

nec nisi Regia auctoritate, totius operis Svenoniani interceptionem & æquam bonorum virorum censuram permittente atque mandante, propulsandæ (nnnnn). Eodem ex fonte circa idem tempus manasse remur ulteriores enodationes quæstionum agitatarum Svetica oratione a GEZELIIS expositas duas, quarum exemplaria in manuscriptis Gezelianis Bibliothecæ nostræ Academicæ exstant, unde alteram, Moniti scilicet de versionibus SS. Bibliorum vernaculis Apologiam, excerptam habet Percelebris J. J. TENGSTRÖM l. c. pag. 330 sqq. Cui Apologiae anne sub junctum fuerit, anno proxime præterlapso 1625 GEZELIO Juniori misum Celeberrimi Theologi PHILIPPI JACOBI SPENERI Responsum ad quæstionem an verba: "Quoniam, ut notissimum est, versiones nostræ vernaculae sæpius discedunt a mente Spiritus Sancti &c. in versiones vernaculae injuria & scandalosa sint?" quod in manuscriptis iisdem autographum reperitur, satis quidem indagare non potuimus; alteri vero opusculo, quo, in explicando dicto de regeneratione per Baptismum posito, probatur, non tantum ea, quæ Narvæ prolixius ab auctore primum memoriae prodita fuerint, a typorum in usum deinde Abœ propter angustiam chartæ atque temporis contractis differre, sed etiam inter Homiliam typis impressam atque versionem ejusdem Upsaliensem discriminis multum esse, appensa adhæret, præter codicillos alios, ejusdem SPENERI simul scripta jamque in Svencanum idioma traducta censura quæstionis: "An in explicatione loci Hebr. 10: 22. verba adducta de aqua Baptismi & Sacramento regenerationis, quod ita mundet animam, ut nihil mali per corpus exequatur, ab orthodoxia nostra recedant?" eadem quæ l. c. pag. 326 sqq. legitur.

Impertita Upsaliensibus rogatione illa, ægre omnino tulerunt se tantæ ignorantiae insimulatos, ut ne lineam quidem Lat-

---

nnnnn) Vid. petitum Gezelianum contractum l. c. pag. 333 sqq.

Latialem reddere valerent, in suspicione poni iniqui judicii, quamvis, ipsis auctorum verbis ad tenorem Scripturæ Sacræ, Librorum Symbolicorum & Orthodoxorum scriptorum aliorum probe examinatis, sententiam non potuerint non ferre, & Sacræ Majestati Regiæ probatam, & nunquam revocandam vel sine gravioris censuræ periculo retractandam (ooooo). — SVENONIUS  
itidem

---

ooooo) Luci publicæ integras committendas duximus litteras Facultatis Theologicæ Upsaliensis, quæ SVENONII manu descriptæ in Archivo Ordinis Theologici Aboënsis supersunt: "Eders Kongl. Maijt hem-bare wij en underdänig tacksejelse för den *Communication*, som i näder os förndt är aff en *fupplik*, hvilken til E. K. M:t haffwa öfverleffswererat *D. D. Gezelij*, angående underdänig begåran at fa inkomma hoos nogra lärde män aff Rijksens Presterfcap wed denne påfländne Rijksdag medh ytterligare förklaringar öfver dhe *ordeforner*, som dhe uthi sina för några åhr sedan *publicerade Homilier* fördt haffwa. Hwad andras *Imputationer* och fördre *Consequentier* emot *D. D. Gezelios* anbelangar, lembne wij til dem, som der medh haffwa at omgåts. Men såsom för medelft Kongl. Maijts befalning wij warit föranlätna, öfver samme *ordeforner* giffwa vårt betenkande, begåre altså underdänigst E. K. M:t täctes låta os emot slike *attentater* och obilligheter *conserverade* blifva. E. K. M:ts behag til höfsamt fölie, haffwe wij *D. D. Gezelij ordeforner* af dhe *documenter* som os tilhanda kombne är, behörigen skärfskodat, och efter Guds ord, wäre *Symbolische* böcker och rene Lårares skriffter funnit som dhe i Bookstafwen lyda, wara anföte-lige och icke kunna tohlas. Samma vårt omdöme är och aff E. K. M:t i näder gott erkiedt; Skulle dhe icke annorlunda kunna förnöja sig, än widh detta tillfälle oprega denne handelen och kasta dese *ordeforner* under nytt skärfskodande, så kan lätteligen hånda at deras fördre *Formula* kommer under en annan *Charatter* än här til skedt år, kunnandes wij intet gåa ifrån detta omdöme; och at wij förmedelft Guds nådh och tilhielp kunne pröfwa hwadh sådane *ordeforner* haffwa at innehåra, och intet böra aff *D. D. Gezelij* beläggas medh den beskyllningen, som skulle wij intet kunna affsettia en Radh *Latin* på Svenska, utan att förwenda den ifrån meningen. Deras ord åro tydelige nogh, och torde wäl meritera att *Exemplaren* i hvilka dhe finnas annorlunda blifwo considererade, än att dhe skulle blifwa i mångas händer,

itidem particeps factus libelli accusatorii, eidem occurrit die 29 Jan. a. 1687 misa ad S. Regiam Majestatem *Apologia*, quæ ab ipso inscripta est *Minor*, cum relatione & judicio Facultatis Theologicæ Aboënsis de causis, indole & pretio opuscularum suorum Academicorum, consensu Facultatis legitimo typis editorum; quæ scripta subsecuta est d. 26 Maii *Apologia Major*. Contra ea GEZELII varias, neque omnino improbandas quidem eas subjecerunt causas desiderandi ut res accuratius recognosceretur, cum quippe nondum penitata esset declaratio autumnali a. 1685 tempore in Cancellaria Regia deposita, multo minus recentiora de male interpretatis Homiliarum verbis scripta dijudgeta. Ab Augustissimi autem Regis sensibus longe abhorrere intelligentes discordiam intestinam, ex opinionum de doctrina fidei disensione ortam quamcunque, poscendæ recognitioni modum tandem fecerunt, & Declaratione hac fidem suam religiosam obligandam die 9 Oct. a. 1686 Dom. Superintendentis duxit: "Deum testem habeo & invoco, partes priores dispositi, homilet. Conc. II. diei III pœnitentialis A. 1682 ad eum plane modum esse Narvæ conscriptas, ut ex autographo adhuc servato leguntur sub Lit. A. Ultima verba dicti Apostolici, Hebr. 10. v. 22. de Baptismo exponenda erant, & porro concilianda cum 1 Pet. 3. v. 21. βάπτισμα οὐ σαρκὸς ἀπόθεσίς ἐπίπεδον. Occurrebat in Vindic. Bibl. Prüchneri ad hunc locum aphorismus nostratum: *Ita enim in baptismo corpus aqua abluitur, ut per eam anima mundetur.* Sed & dici debuit, quo sensu illa mundities ad corpus refertur; Arripui sic *Biblia Illustrata* B. D. Calovij, &

helt efter som dhe fökia sine oformlige ordsätt att förfäcta, hvilket doch medh mera E. K. M:ts högwijsa och nådiga gottfinnande wij underdårigt heemställe och troherteligen önske all guddomlig Nådh, längt ljff och Kongl. throns befärlse med alsköns lyckafaligheet, förblifwe E. K. M:ts vår allernådigste Konungs och Herres underdårigste Tienare, PETRUS RUDBECKIUS, ERICUS BENZELIUS, PETRUS HOLM, HENRIC SKYTZ."

& tum iis quæ aliunde habet intactaque relinquit, tum additis ab eo ad h. l. festinanter perle&tis, nihil aliud exprimere volui, quam quod juxta monitum Apostoli 1:o in regenitis, studio renovationis tollatur dominum peccati (:quod præpribis in operibus externis spectatur, vid. B. D. Ægid. Hunnius in Rom. 6. pag. 160, 162, 166:) 2:o Efficacia quoque baptismi ad hoc se extendat. Ideo quia de Spirituali corporis munditie per baptismum, concise, ob scripti rationem erat loquendum, paucis ipsis linea subductis (:quæ ob tabellarij festinationem & occupationum molem parum expendere licuit:) utrumque traxi quod tamen aliis & clarioribus verbis exponi potuit. In illa autem verborum Latinorum serie, & bene consideratis antecedentibus locum non habet integra hæcce propositio Svetica, sic illimitate posito subiecto: Att dñe tvagne med döpelsens vatn, nyja födelsens Sacramente, varda så til siälen reenade, att den intet ondt genom kroppen uthrättar eller värkar. Prout vero partes di&tæ concionis sub lit, B. se habent, ex prolixioribus Narva transmisfis Aboæ in gratiam typorum contractæ sunt, quod itidem jam ab initio hujus controversiae indicatum est. Verba tamen lineis notata, ex quibus nata occasio exhibendi formulam Sveticam jam descriptam, existimavi a concionaturis sic commode reddi posse. Hebr. 10. v. 22. (præmissis præmittendis) — bestänkte i hiertan ifrån ett ondt samvete, med Christi blod i troone Joh. 15: 3. Actor. 15: 9. och tvagne om kroppen med reent vatn, med döpelsens vatn, Nyja födelsens Sacramente, hvilket så reenar siälen, at hon intet ondt genom kroppen må uthrätta. Zach. 13: 1. Act. 22: 16. Eph. 5: 26. Tit. 3: 5 &c. Mihi itaque circa verba impresa non alia fuit mens, quam ad illa in autographo tradita. Quoniam vero tanti momenti res non satis brevis ista loquendi formula tradi potest, ideo nec Latina verba in controversiam vocata, extra scripta hæcce apologetica, usurpavi, & lubentius ijs in posterum abstinebo, siquidem orthodoxus, qui mihi hic semper fuit sensus, etiam alijs exprimitur

ver-

verbis, in S. Codice & scriptis Theologicis; quod gemino scripto prolixo demonstratum dedi. Quomodo naturæ nostræ corruptionem imbecillitatemque & renovationis in hac vita imperfectionem semper agnoscamus, ex omnibus scriptis homileticis & evidenter ex eodem ad Jer. 17: 7 — 10 patet". Qua tamen declaratione minime satisfactum esse iis quorum intereslet videns, Formulæ Facultatis Theologicæ Upsaliensis, nonnihil mutatis, approbante Reverendissimo Archiepiscopo, ejusdem verbis, præfertim in certamen maxime adductis illis, suadente in primis Illustrissimo Academiæ Cancellario (ppppp) d. 5 Nov. e. a. subscripsit (qqqqq), & porrecto Regi scripto aliquo, ad Majestatem Hujus arbitrium injuriarum Patri sibique factarum totum rejecit, rogans tantum ut controversiæ auctor PETRÆUS, ad poenitentiam sui atque ad parcendum in posterum otio aliorum aliqua via redigeretur.

Explosa

ppppp) In schedula quadam Gezeliana notatæ leguntur "Rationes propter quas Illustriss. Comes B. Oxenstierna persuadere mihi voluit ut simpliciter subscriberem formulæ Sveticæ: 1. Quia illud tam pertinaciter urgent Upsalienses. 2. quia alias totum convellere volunt, quod factum est. 3. minantur multa periculosa alia se producēturos. 4. quia S. R. M:tas cupit sic omnia tranquille componi. 5. res sic soplitur & nulla difficultas. 6. quia R:mus Pater jam ante Sveticæ subscriptis. 7. etiam de successione per gratiam S. R. M:ts certior. 8. quia S. R. M:tas approbavit & sic cum Rege nobis res erit."

qqqqq) Ut appareat, quantum Confessio hæc GEZELII Junioris a primum conceptis Upsaliensium verbis, quæ vid. J. J. TENGSTRÖM l. c. pag. 335 sqq., differat, ex autographo heic proferatur: "Al den stund fast og ierna förföröries att en eller annan locution af mig brukat, skal finnas anförlig och kasta af sig förgärfse, den förré i ett post-scripto af en tryckt homilie Ad Concionatores juniores, Quoniam, ut notissimum est, versiones nostræ Bibl. vernaculae, sæpius discedunt a mente Spir. S. &c. den andre uthi en homilie öfver 1682 åhrs bönedags text Exord. Hebr. 10: v. 22. Låt oss framgå — och tvagne, aqua baptismi, Sacramento regenerationis,